Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1527
Quelle:
Copyright:

nie, ad quod dux Wladislaus cum fratre suo Henrico et patruele suo Spitigneo &c. cruce assumpta et armati se transtulerunt. Successu, ut notum, infelici.

X. *fol.* 170. Collectanea praecipue e Patribus, sive *Auctoritates de tribulacione, de Caritate, de Mundi prosperitate*, et aliis, quibus interjecta bina *Foliola* rhythmis conscripta, hoc initio: *Jam oportet me metra scribere, quia nescimus nos sapienter regere.*

Proch modo ex nichilo pullulat alta seges
Sicienti riuulo concrescunt nowe leges &c.

Querelae de corruptis moribus, Commendatio Passionis Domini &c. e quibus nihil eruas, nisi quod ad *eximium et amandum Presulem* dirigantur. Subscriptus est bohemice *Jan rzieczený had*, id est *Johannes dictus Serpens.*

XI. *fol.* 173. p. 2. *Rzieczi Swateho Pawla* &c. sive *Sermo Sancti Pauli contra vitia hujus Seculi vocat et loquitur.* Initium latine redditum: *Vox sancti Pauli vocat. Toti mundo dicens. Omnes qui pie volunt vivere* &c. E quo mox intellexi Παραφρασιν hic haberi Opusculi illius, quod olim diversis tributum *Mauriani* T. VI. *Opp. Augustini Append. col.* 219. ad *Ambr. Autpertum* retulere, ut dixi ad *Cod.* CCXLI. quodque incipit: *Apostolica vox clamat per orbem* &c. et *de Conflictu Virtutum et Vitiorum* inscribitur. Desiit jam in C. VI. elegans Παραφρασις, atque in Peroratiuncula subjecit: Se ita senio decrepitum, ut jam ambulare non valeat; hunc vero Sermonem misisse Sacerdoti *Bedrzichoni*, cum nihil aliud officiorum ad eum consalutandum haberet. Ad Sec. XV. initia labor hic pertinet, quo tempore paucis sane Gentibus contigit, aliquid e PP. Scriptis lingua sua vulgari possidere.

CCCCXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 279. f. per duas columnas currente calamo exaratus sequentia complectitur: I. *Petri Tzech* sive *Tzach* ab oppido natali infer. Austriae dicti *de Pulka*, ad D. Stephanum Canonici et de Academia Vindobonensi optime meriti *Tractatum contra Hussitas*, qui incipit: *In nomine patris et filij et spiritus sancti Jussit vestra reuerendissima paternitas ac metuendissima dominatio talia que negare phas non est* &c. Finit vero: *Et in eadem fide et obedientia Romane videlicet ecclesie semper fuit gubernata ecclesia christi.* Quae in hoc Scripto hactenus inedito plurimum impugnantur, sunt Sensa Hussitarum de Bonis temporalibus Cleri, de Libertate praedicandi Evangelium, et de Communione Sacramenti Altaris. Ad calcem rubro subditur: *Et sic est finis huius opusculi* 176